

MEMORIÆ  
ILLVSTRISSIMI PRINCIPIS  
CAROLI  
DUCIS MEGA,  
POLITANI, &c.

GUSTROVII XXX. Augusti in so-  
lemnici ejus funere recitata

ORATIO

ab

EILH. LVBINO D.



ROSTOCHII,  
Typis Christophori Reusneri,  
ANNO M. DC. X.

Meckl.

16,1

hist. gal. Sax.



ILLVSTRISSIMIS AC CELSIS-  
SIMIS PRINCIPIBVS AC  
DOMINIS,

Dn. Adolpho Friderico,

&

Dn. Joanni Alberto,

DVCIBVS MEGAPOLITANIS,  
PRINCIPIBVS VETVSTÆ GENTIS HE-  
NETÆ, COMITIBVS SVVERINENSIVM,  
DOMINIS ROSTOCHII ET STAR-  
GARDIÆ, DOMINIS MEIS  
CLEMENTISSIMIS,

Devotâ animi subjectione

D. D. C.

Eilhardus Lubinus D.



**R A T I O N E M H A N C I N H O C S O L E M N I A C**  
Luthoso Illustrissimi Ducis CAROLI, Principis Megapolitani, Patrie  
Patriæ, p̄issimè in DEO & Christo ejus defuncti, funere habiturus,  
Illustrissimi Principes, Domini Clementissimi, Generosi ac magnifici  
Domini Consiliarij & Cancellarij, & tota consultissimorum reveren-  
dorum ac doctissimorum virorum ac juvēnum corona ac concio: Eo  
majori animi fiduciâ ac firmitudine suggestum hoc consendi, quo magis exploritum  
ac notum mibi, Illud me facere, quod neg, novum neg, insolens est, Et quod ipsa Iusti-  
tia suadet, equitas postulat, pietas requirit, idq; illorum auctoritate, qui mthi impe-  
rant, & quibus mthi nefas est non obedire.

Deus in lege suâ post officia sibi debita proximè jubet Parentes honorare. Inter  
parentes autem primi & maximi illi jure nobis sunt, qui ob amplitudinem munera  
sui, & magni- & multidinem beneficiorum suorum à Græcis νομάρχες λαῶν, pastores  
populorum, à Romanis Patres Patriæ appellabantur. Quidni ergo summum illum no-  
strum post D E U M in hac ditione Megapolitanâ parentem Ducem C A R O L U M  
mortuum honoramus, quem vīsum amavimus & coluimus, & defuncto Iusta persolvimus,  
quæ ita à Romanis dicebantur, quod justè fierent, ac jure persolverentur mortuis  
illis à vīvis, qui vīci de vīvis optimè ac p̄eclarissimè fuerint promeriti.

Jam mos & consuetudo hæc, quæ in funeribus summorum & optimorum Prin-  
cipum querelæ lugubres, & orationes funebres in laudes defunctorum habeantur, non  
solum in se laudatissima & p̄issima est, verum etiam longè antiquissima. Si vetustissi-  
mum in mundo librum Sacra Biblia consulamus, invenierimus Patriarcham Jaco-  
bum in Ægypto mortuum septuaginta diebus defletum; & Mosen supremum populi  
Israëlitici ducem mortuum in Campestribus Moab totis triginta diebus amaro luctu  
ac fletu deploratum fuisse. Si antiqua Romanorum monumenta evolvamus, depre-  
henderimus inde ab urbe propemodum conditâ morem hunc inter Romanos viguisse.  
Constat enim L. Junium Brutum, qui pulsis ex urbe Regibus Romam à tyrannide li-  
beraverat, mortuum à Valerio Poplicolâ pro rostris laudatum fuisse. Inde semper a-  
pud Romanos receptâ consuetudine introductum fuit, publica & indictiva summorum  
virorum funera per forum deducere, ibi q; pro rostris erēcta statuere, & in defunctorum  
laudes orationes funebres habere. In primis summorum Principum ac Dictatorum,  
quorum etiam cereas imagines ad vīsum elaboratas populo publicè spectandas exhibe-  
bant, ut vel illo præsentî extero spectaculo animi auditorum oratione funebri magis  
percellerentur. Neg, mos hic solum apud Romanos, verum etiam Græcos, & alios po-  
pulos consuetudine receptus est. Memorabile cum primis est, quod de antiquissimis  
Ægyptiis legimus. Consueverunt illi regis sui defuncti cadaver in medio multitudi-  
nis totius populi congregati ponere, & proximè ad utrumq; latus duos oratores stitue-  
re, quorum unus ad dexteram laudes defuncti sui regis prædicaret, ejusq; fortia & e-  
gregia facta in salutem totius regni justâ oratione persequeretur. Alter vero ad fini-

stram contra ejus vitia flagitia ac scelerem dicitur, que in subditorum suorum fratre-  
dem, & totius regni perniciem vel insolenter, vel crudeliter perpetraverat. Quibus  
ita peractis judex populus bene & malefacta regis sui, virtutes cum vitiis collatione  
quâdam institutâ contendebat, & aequâ quasi lance librando expendebat. Si vitia  
virtutibus præponderâissent exanime cadaver insepultum, & contumeliosè abjectum  
volucribus canibus ac feris dilacerandum ac devorandum objiciebant. Sin verò in  
collatione illâ virtutes ille seperâissent vitia, corpus regis sui pretiosissimis aromatibus  
& odoribus conditum, & unguentis delibutum honorificentissime sepeliebant, & pro  
numero ac multitudine separante altiores pyramidum exstructas moles ejus sepulcro  
superimponebant. Acerrimo sane regibus Ægyptiacis ad pietatem ac virtutem incita-  
mento, calcari, ac stimulo! Nimurum quod facio antiquissimo majorum more facio;  
& exemplo antecessorum meorum, virorum doctiorum ac meliorum, quibus idem mu-  
nus olim demandatum. Facio autem ex clementissimâ illorum voluntate, quæ mihi  
pro imperio, quorum ut hoc me à temeritate vindicat, ita illud ab insolentiâ liberat &  
absolvit. Nec ignoro interim quâm huic oneri ferendo humeri mei parum firmi ac va-  
lidi, quamq; doctiores & eloquentiores plures aly huic muneri longè magis apti & ac-  
commodi. Sanc dum tria illa penitus mecum expendo, DE QVO, AD QVOS,  
& QVIS dicere debeam, parum abest quin ingenuo pudore, & ingenito mihi timore  
totus propemodum dejiciar ac prosternar. Dicendum mihi de magno quodam Ger-  
maniae nostræ Principe, Cujus ut vita fuit integerrima, sic mors in Christo Jesu longè  
beatissima. Nempe qui, quod in illâ fortunâ rarissimum, is fuit, quales pleriq; videri  
volunt, is vixit, quales optimi quicq; mori cupiunt, is mortuus est, quales omnes Christi-  
ani in Christo Jesu ad vitam eternam resurgere exoptamus. Atqui ut hujus ma-  
teriae dignitati ac sublimitati inops ingenij mei tenuitas, & nuda eloquentia mea in-  
fantia, ut aequum ac par est respondeat, quibus intelligit citius à me optari, quâm spes-  
ri & exspectari posse. Jam verò quinam illi, ad quos dicendum mihi? Nimurum  
dum circumspicio, augustissimum illud sacratissimi hujus templi Amphitheatrum con-  
tueor. Video illustrissimos Principes, illustrissimorum Principum Consiliarios &  
Cancellarios, tot equites generosos, & densos illos viris magnificis reverendis consul-  
tissimis ac doctissimis plenos cuneos. Quis autem ego, qui dignum aliquid eloquer-  
hoc auditorio, de rebus maximis, ad auditores tot, tales, ac tantos, unus de minimi?  
Quâ igitur tandem fiduciâ ac fronte hoc me loco siccere ausus fui? Nempe Dei auxilio  
fretus, & Christi ejus praesidio subnixus, cuius potentia nunquam in mundo fuit con-  
spicitor, quam cum per minima etiam peregit maxima. Quando etiam per filium  
& misericordum pescatorum infantiam summorum Philosophorum ac Rhetorum debi-  
sit eloquentiam, per ignorantiam doctrinam, per stultitiam sapientiam, per infirmita-  
tem potentiam, per clades trophya, per ignominiam triumphos. Nimurum cuius vir-  
tus in infirmitate perficitur; Et qui hoc pietatis officium, quod in lege suâ jussit, in illis,  
qui id exsolvere conantur etiam adjubabit & promovebit. Nec tamen nullum etiam  
mihi praesidium relictum arbitror in gratiâ & clementiâ, in humanitate ac benevolen-  
tiâ illustrissimi hujus ac splendidissimi auditori. Et quod, uti spero, non tam mea  
bæc in dicendo infantia offendet, quam obsequiosa voluntatis mea promptitudo ju-  
bit, Utique cum quicquid facio ex clementissimâ illorum voluntate faciam, quibus

80TH 1110

cum me in alijs omnibus, que cunq; à me quoque modo rectè fieri & proficisci possunt  
devinctum & obligatum esse etiam usq; ad mortem subjectissimè agnoscam: Hanc  
sanè provinciam, & hoc Pietatis officium eò majori animi lubentia subire volui, quo  
ipsum non solum magis pium, justius ac honestius est, sed ampliores etiam hujus vitæ fe-  
licitatis & longævitatis in lege Dei promissiones sibi habet propositas.

Quod igitur supremus ille regum rex, à quo omnis in mundo potestas est, cuius ar-  
bitrio alijs occidunt, alijs oriuntur, quiq; transfert regna, & dat cui vult, faustum esse ve-  
lit, ac bene vortat, Hoc Agemus. Et cum solemnes hujusmodi Panegyres, & funebres  
conventus cogantur, non solum propter mortuos, qui curriculo hujus ærumnabilis vi-  
te feliciter superito jam melioris vitæ coronâ orinati triumphant, sed etiam & vel ma-  
xime propter viros, qui in hujus calamitosæ vitæ stadio adhuc sudant ac decertant, &  
ad æternæ vitæ brabæum adhuc contendunt; Dicemus non solum de Progenitoribus,  
& de vita ac morte Senioris Principis C A R O L I beatissimè defuncti: sed etiam pro  
vitâ, incolumitate & salutari gubernatione juniorum illorum Principum, per quos  
Deus funestam hanc Patriæ ruinam clementer fulcire, & jacturam paternæ sarcire  
dignatus est.

Quia vero dicendum mihi non de magnis solum sed & multis, unde tandem di-  
cendi ducam exordium? Unde autem nisi ab illis, à quibus beatissimus noster Pr. Ca-  
rolus vitæ suæ in terris duxit exordium, quod in summorum virorum Elogijs naturalie  
ratio suadet & consuetudo introduxit? Neg, vero in exigua felicitatis humanæ par-  
te ponendum, à majoribus summis pariter & optimis familiam suam deduxisse, vitamq;  
illis majoribus non indignam, non indecorum transfigisse. Utrumq; autem vero de  
C A R O L O nostro prædicamus.

Nempe cuius stemma Genealogicum, & Generosissimam familie arborem ( cu-  
jus ille tam nobilis ramus, tam generosus surculus, cheu! jam exaruit ) si à primis radice-  
bus, in omnibus ejus ramis & frondibus ex antiquis auctorum monumentis excutere  
mihi liceat, citius hæc hora, imò dies illustri huic cœtui audituro, quam materia copia  
mihi dicturo defecerit. Major autem illa res ac sublimior, quam hoc tempore vel  
hos audire vel me dicere fas sit; quam sermonis mei inopia exprimat, aut hujus tempo-  
ris angustia capiat aut comprehendat.

Si tamen summa rerum fastigia sequi libeat: Mitto hos, qui stemma hoc à Bi-  
lenco deducunt, quem sub Carolo magno militasse memorant. Mitto & illos, qui à  
Duce quodam Antirio, qui ante bis mille annos sub Alexandro Magno stipendia me-  
rruit, è Græciâ ad hoc littus Balthicum cum exercitus aliquâ parte penetraverit, & è  
quoq; Vandala & Africæ reges orti sint, & inter illos ultimus Pribislaus, à quo  
C A R O L U S noster abest gradu duodecimus, & genus suumjam per 500. propemo-  
dum annos dedit. Quæ cum ob longinquam temporum vetustatem, & ignobilitatem  
auctorum suorum obscuritatem non æquè firmam omnibus faciant fidem, religio mibi  
vel minus certa vel saltem suspecta certis & exploratis addere. Neg, vero etiam ma-  
gnopere laborandum aut contendendum nobis de generositate ex illorū regū Prosapiā,  
qui sine Christo sine Deo in Idolomania & Ethnicâ impij vixerunt, & maledicti ac dam-

~~N~~ati mortni sunt. Melius ac nobilius Christianorum regum stemma nobis inquirendum, è quibus melioris generositatis origo Carolo nostro propenerit, non modo illa carnis, quae perijt, sed vel maxime illa Spiritus, quā coram mundo illustissimus fuit, & coram Deo in Dei oculis pretiosissimus est, & aeternū manet.

Primam ergo radicem huic tam generose arbori indubitate certe fidei monumenta afferunt Pribislaum Nicoloti filium, ultimum Vandalorum, Obetritarum, Herulorum & Henetorum regem, qui ab Henrico Leone, Duce Bavariae acie superatus, & ad Christum conversus Urbem Rostochiemsem, & Cenobium Dobberanense condidisse memoratur. Ex hoc Rege jam Christiano natus filius BUREVVINUS qui religionem Christianam à Patre acceptam in his locis firmavit, & exemplo Patris COenobium Sonnekamp, quod jam vocamus Claustrum novum, conditum sue pietatis monumentum post se reliquit. Hujus filius HENRICUS BUREVVINUS, ut Paterni nominis, sic virtutis heres in hac urbe Gustrovio, hoc cathedrale templo, in quo hac hora jam internos conuenimus, & CAROLO nostro ejus decimo nepoti iusta persolvimus, in honorem Dei erexit, in quo & ipse ante annos 382. mortuus sepeliri, & ossa sua in spem gloriose resurrectionis recondi voluit. Huic HENRICO BUREVVINO inter plures utriusq; sexus liberos, filius JOANNES sui saeculi Phœnix & nostri miraculum, princeps arte pariter & Marte clarus ac famigerabilis, Parisijs 20. annis litterarum studijs operam nababit, Ad tantum eruditionis culmen evellus ut etiam Doctoris Theologie titulo ornatus sit, qui illo tempore summus dignitatis bonus erat, etiam summis Principibus non fastiditus.. Ubi etiam duas sorores Magdalenam Principi Massiliæ, & Sophiam regi Cypri in matrimonium dedit; Et mox ad sua reversus Libonos ferociores domuit, & ad Christum convertit, & mortuus filium HENRICUM reliquit, HIEROSOLYMITANUM dictum, ob memorabilem in Saracenos pro defendendâ Christi Ecclesiâ expeditionem, & longinquam in terram sanctâ devotionis caussâ suscepit peregrinationē, in quâ optimus Dux captus, 27. annorum durissimam servitutem perpeccus est, à quâ tandem tamen liberatus VVismariam reversus, ibidemq; mortuus fuit. Hic optimus p̄fissimusq; Princeps, & belli armis famigerabilis post se reliquit, ut Paterni nominis, sic virtutis ac fortitudinis heredem HENRICUM, ob res belli armis fortissimè gestas LEONEM dictum, qui Rostochium armis belli à Regibus Daniae recuperatum ducatui suo adseruit, & Cenobium Ribbenicense fundatum sue pietatis testimonium post se reliquit. Huic succedit filius ALBERTUS, quem ob res fortissimè gestas, & merita in Imperium Romanum maxima Imperator CAROLUS quartus primum inter duces Megapolenses Principem creavit, & reliquis Imperij Romani Principibus inseruit. Principem rebus preclaris pace ac bello gestis laudissimum, & à majorum suorum fortitudine ac pietate minimè degeneremus. Nam Danos crebris excursionibus in Ditionem Megapolensem irruentes belli armis à finibus suis longè lateq; profligavit, & Magnum, ducem Brunsvicensem in aperto campo acie superavit: & veluti alter monstorum dominor & Centaurorum profligator HERCULES, latrones passim griffantes capitalibus supplicijs constitutis compescuit & extirpabit, Huic inter 7. filios ( inter quos & ALBERTUS, REX SVECIÆ creatus) filius MAGNIUS, hoc nomine

mine dignus, quippe rebus huic nomini convenientibus gestis laudatissimus, filium habuit JOANNEM, Caroli nostri abavum, Principem aeternam inter mortales in mundo dignum memoriam, Heroa corporis dotibus, animiq; virtutibus fortunatissimum. Qui inter alia preclarissime gesta, cum Patruelio suo Alberto, Alberti Regis Sveciae filio, Academiam Rostochensem felicibus auspicijs anno Christi 1419. Ponitisse Martino V. & Imperatore Sigismundo fundavit. Hujus filius HENRICUS cognomento PINGUIS, Caroli nostri Proabo, Ducatum Vandalie mortuo V. Wilhelmo ultimo ejus duce, ditionibus suis adjectis. Cujus, inter clios, filius MAGNUS Caroli nostri abus, dux heroicā animi magnitudine, Principe Magno digna, prepollens, Ditionem Stargardensem principatiū suo adjunxit, & collegiatam Ecclesiam Rostochij in templo D. Jacobo sacro erexit, & ob id cum rebellibus subditis diuturnas bella gestit, eosq; tandem domuit ac subegit. Hujus tres filii, inter quos HENRICUS Caroli nostri Patruus Principatum suum per integrō 50. annos pie ac pacificè administravit, Alter vero ALBERTUS, Caroli nostri Pater, Princeps Augusta corporis proceritate, & Heroicis animi virtutibus nulli principum Romani imperij secundus. Cuius praeclaræ virtutes & in patriam merita tot ac talia sunt, ut jure de illis dicam, quod quidam de Carthaginē, Satius esse nihil de illis, quam parum dicere. Plura sanè angustia temporis non admittit, quæ me vix summam Principum Megapolitanorum laudum superficiem delibare permittit. Mater Caroli nostri ANNARIA Joachimi Electoris Brandenburgici filia, Matrona cuius laudum primas lincas vix summi oratores justis orationibus duxerint, nendum ego illas exigua hujus orationis portiuncula legitimis suis coloribus plenè absolverim. Nihil jam dicam de serenissimis Marchiæ Electoribus, à quibus Carolus noster per matrem familiam suam deducit. Nihil de FRIDERICO PRIMO Caroli nostri materno avo, quem suo seculo Germania sine pari habuit, qui bonos defendendo, malos compescendo, subditos tuendo, hostes profligando, viros doctos fovendo, & prioris seculi barbariem eradicando, jure Alcidæ cuiusdam Germanici nomen invenerit. Nihil de JOANNE materno Caroli nostri proabo, quem ob prudentiam, consilium, judicium & eloquentiam admirabilem Germaniæ Nestorem posteritas jure appellaverit. Nihil de ALBERTO Caroli nostri abavo materno, illo belli fulmine,

Teutoniā in domitis qui quondam terruit armis,

Quem ob invictam animi magnitudinem, & res belli armis fortissime gestas, Achilleum Germanicum etiam Itali vocarunt. Nimirum tantorum Heroum, rerumq; ab illis preclaræ gestarum nec amplitudinem hujus temporis angustia, nec copiam mea in dicendo inopia cæperit. Nempe à talibus ac tantis utriusq; parentis progenitoribus CAROLUS noster non solum stemmatis sui primordia, & per generationem carnalem familie suæ Celsitudinem: Sed etiam animi virtutis ac fortitudinis generosiorē nobilitatem traxit, Princeps antiqua virtute ac fide, ut optimorum parentum filium neutiquam degenerem possis agnoscere.

Natus est princeps noster CAROLUS anno Christi prioris seculi quadragesimo, pridie Michaëlis Archangeli, sic ut annum vitæ suæ septuagesimum propemodum, iam impleverit, qui illi Climactericus magnus, ac fatalis fuit. Et quamvis dies natalis Michaëlis

His Michaëlis illi nomen adsignasse videretur, non tamen hoc nominis impositum in fuit, eo quod principibus Germaniae esset nomen insolens. Carolus autem à Carolo Quinto dictus, qui ejus Baptismi testis rogatus fuit. In hujus Principis nostri ortu ac nativitate ostendit Deus etiam summos principes humanae vitae casibus subjici, & ortu pariter atq; obitu tenuioribus hominibus interdum equari. Nam generosissima ejus Mater ANN A, hoc filio gravida, ac partu vicina, cum Grabovio Neostadium versus tenderet, in itinere ærumnis partus præoccupata sub nudo cælo prope quandam querum, hunc filium suum Carolum nostrum enixa est. Puerpera illustrissima, & tamen illo obstetricum & famularum ministerio illo tempore destituta, quo etiam viles è plebe mulierculæ raro destituuntur. Sapientius hujus nativitatis meminit princeps noster, alios Duces Campi Electos, se vero natum esse jocatus; non raro etiam de hoc ortu suo gloriatus. Et meritò illud quidem. Neg; enim turpe sibi ducere debuit in illa humilitate à matre digni sub dio, in qua humilitate prima parens nostra Eva liberos suos, à quibus omnes oriundi sumus, peperit, in speluncâ aliquâ subterraneâ, aut tenui gurgustio vel tuguriolo: Aut in quâ humilitate Mater Maria Virgo filium D E I in stabulo enixa est, illum regem regum, qui est

Ætheris, inferni, maris, & terræ induperator.

Neg; sane omne carere putandum est, quod ita optimus noster princeps sine sollicito ministrantium strepitu in aperto campo sub dio sub puro cælo natus fuerit. Certe principem nostrum omnem mundi fastum infesto odio detestaturum, & simplicis animi, candidi cordis, ac sinceri pectoris, & humilitatis omnium virtutum nobilissimæ vivum exemplar futurum, & modicis potius, quam nimis contentum victurum, ita nasci conveniebat, ita nasci decebat ac decorabat. Ut autem Deus suorum, quos diligit, letitiam semper aliquâ tristitiâ temperat. (Neg; enim fas est filios Dei ullam sinceram voluptatem in hac vitâ præcipere, que illos demum manet in futurâ,) Sic optimus Pater Albertus cum nuntium de nato sibi filio letissimum accepisset, simul etiam triste aliud accepit de opido Lubitz magnâ sui parte orto incendio exusto.

Primi pueritiae annis cum fratre Christophoro præceptorem habuit VVolfgangum Leopoldum Friburgensem, virum præstantissimum. Et quamvis felicissimi ingenij, & excellentissimæ memoriae esset, tamen patre Alberto six septennis orbatus, nimis mature studiorum filum, feliciter texi cæptum, abrupit, & apud matrem viduam ad vigesimum propemodum etatis annum Lubitie & Crivitie mansit, eiq; consilio, auxilio, & solatio, omnibusq; amoris honoris, & observantiae officijs præsto fuit, memorabilis pietatis filii in matrem exemplo, cuius merces ut in hac vitâ illi non periret, ita neq; in illâ, in quam jam per mortem transiit, illi unquam peribit. Hanc etiam matrem suum in Livoniâ comitatus est, ad liberandum e quinquennali Polonorum custodiâ fratrem CHRISTOFHORUM. Amisit autem illam anno etatis sue vigesimo septimo. Cui senio & tot partium ærumnis, & ex veneno à quidam Cubiculariâ furiâ ipsi parato confectæ, & lecto propemodum semper adfixæ consans minister neq; ad mortem adfuit, adeo sobrius & continens, ut constet ipsum ad hanc usq; etatem vix leviter ab ullo luxu aut ebrietate fuisse tentatum.

Mater

Mater moritura cum ei benediceret, & Vale illud in hac vita ultimum diceret, dextram filij moriens tam arcte tenuit, ut bix postea ab arctissimo dextere jam rigentis nexu filius divelli potuerit. Quae res animum filij ob matrisbitum alioquin attonitum aitè consternavit, ut non modo in animi deliquum inciderit, sed & graviora Symptoma alia, unde ei sermonis ac loquendi difficultas, ex pietate in matrem contracta, semper adhaesit. Princeps incredibili naturæ bonitate & probitate admiraculum usq; præditus, & quem posteritas jure meritissimo CAROLVM cognomento PROBVM appellaverit. Qui cum Illustrissimi Domini fratres Dueatum Megapolensem ex aequo divisum tenerent, ipse portione aliquâ sibi adsignata contentus VVredenhagij & Neocaldij post obitum matris resedit, easq; præfecturas, ut fuit Oeconomus gnibus & industriis, edificijs, alijsq; necessarys mirum in modum auxit & ornavit.

Anno etatis sue 32. 8. July, in Belgium profectus Principi Vranie VVilhelmo (cujus nuptiis cum Anna Maurity Electoris filia Lipsia celebratis ante 11. annos cum fratre Ulrico, & alijs sedecim Electoribus & Principibus imperij interfuerat) contra immane illud crudelitatis Hispanicæ portentum Ducem Albanum ad Bergas Hennegavia militavit. Vbi hostem suum castris & campo exuere potuissent, nisi quorundam cunctatione occasio, que capillatam frontem obverterat, mox tergo dato se abvertisset.

Post triennium ad sua reversus fratri suo Christophoro in Episcopatu Raceburgenfi coadjutor adjunctus, sequenti anno post mortem Iohannis Alberti fratriis Commendaturā Miroviensem, cuius dimidiā partem hactenus, jam tum solus totam obtinuit, quam agris, sylvis, piscinis ac saltibus edificijsq; suo more auxit & ornavit. Anno vero etatis sue 37. post mortem Elisabethæ, Præfecturis VVredenhagio & Neocaldo ex transactione & pacto cessit, receptis Broda & VVesenbergio præfecturis alijs. Inde post annos quindecim 9. Mal fratri Christophoro defuncto in Episcopatu Raceburgensi successit, cui & magna fidelitate præfuit, ejusq; edificia & templaque vetustate collapsa, aut incendio absunta etiam propriis adjectis sumptibus reparavit. Iam ante octennium, anno hujus seculi tertio post mortem Ulrici fratriis, quem ardentissime Patris loco amat, CAROLVS noster, qui hactenus exigua Ducatus portione contentus vixerat, solus Ducatum Megapolensem gubernare incepit, memorabili exemplo, quomodo DEVIS dispensatores suos in exiguis fidelis magnis præficiat. Et tempus quidem gubernationis ejus tantum octenny fuit. Breve illud quidem, sed multorum bonorum ferax: Nam, ut fuit filius DEI & pacificus, pacem & concordiam passim concinnavit. Cum Serenissimâ Reginâ Danie nepte suâ initio gubernationis sue de omnibus feliciter transegit. Mox cum Serenissimo Danie rege controversa quedam per Legatos suos viros præstantissimos salubriter composuit, veteri inter Danie reges & Megapolenses Principes amicitia & benevolâ affectione redintegrata. Idem etiam antiquas quasdam cunroversias inter Principes Megapolenses & Duces Saxoniae utiliter sopivit. Suo etiam ductu & auspicio inter Iuniores Principes nostros in divisione Ducatum pacifice transegit: Neq; etiam quidquam in se desiderari passus est, quo controversia inter Rostochiensem Academiam & Senatum amicè Dobberoni sopiretur & componeretur. Iudicia

sa Provinciale & Consistoriale accurate constituit, Inq. Ecclesiis sua ditionis & Academiâ suâ vera religionis adsertor & Zelotes fuit acerrimus. \* Princeps pius & religiosus, & Dei, Dei q. verbi amans, sacrorum Bibliorum lector diligenterissimus, adeo ut testimonia paßim ex Verbo DEI, & cum primis Esaiâ Prophetâ, & Iohanne Evangelistâ accuratè collegerit, precationes matutinas & vespertinas ipse sibi confecerit. Concionum a sacrarum tam diligens auditor fuit, ut Concionator quidam, qui ultra triginta annos ei à sacris concionibus fuit, affirmârit, se nunquam illum in concione dormientem aut somnolentum animadvertisse. Subditis suis clementissimus fuit, Cæsari superiori obsequentissimus, qui, ut Cæsari, quæ Cæsaris sunt præstarentur, nec interim Subditi tenuiores premerentur, suâ pecunia illos non raro adjuvit. Christianæ humilitatis exemplum admirabile, antiquæ simplicitatis amantissimus, pacis studiosissimus, injuriarum, quod non nisi in animum generosum cadit, patientissimus, fæderum ac pectorum servansissimus, probuentum ducalium observator solertissimus, à novis exactionibus alienissimus, inq. aulae sue apparatu mediocria præferens nimis. Prescivit autem optimus Princeps hunc annum sibi fatalem sore. Quo nomine paßim è præfecturis discedens ministris plenissimata daledixit, quasi ad illos non reversurus.

Hec igitur anno etatis suo septuagesimo suo documento veritatem Psalmi illius comprobavit, Vita nostra annorum septuaginta. Decimo septimo Februario intravem Apoplexiæ Paroxysmum incidit, in quo per viginti quatuor horas, cum omnium bonorum gemitu jaellatus est. E quo, cum DEI gratiâ per priorem preces & solerter medicorum curam eluctatus esset, receptum per DEI gratiam linguam usum etiam in ad Deum gratiarum actiones, & preces primo omnium direxit, In hac verba erumpens: In Christo Iesu vivam & moriar, à quo nullus hominum unquam medimovet: Domine Deus, tu onus nobis imponis, sed tu etiam nos adjuvas. Sæpius identidem repetens illud, quod Symboli loco usurpare solebat: Deus esto sollatum meum in terris.

Mense Mayo, cum conventui Serenissimorum Regis Daniae & Electoris Brandenburgici, aliorumq. Principum ob incommodiorem valetudinem Rostochij interesse non posset, Serenissimus Elector Ulrich eum invisit, & priscâ inter utramq. domum Brandenburgensem & Megapolensem benevolentia sincitatem & redintegratam diuturnâ illius de finibus utriusq. ditionis controversiae sibi fundamenta jacta sunt non exigua. Tandem tricesimo Iunij sub redditum è conventu provinciali Sternebergæ habito, secius habere cepit, & in recidivam Calculi & Colicorum dolorum relapsus, decretorum vite terminum propius instare sibi animadvertisens, mature salutifero sacra cæne cibo ac potu recreatus viatico ad hinc migrandum se instruxit, & ad iter ex exilio in patriam expedivit.

Quemadmodum autem in summâ humilitate ante 70. annos, non sine DEI providentia, sine ulla ministrantium pompa aut spiritu in lucem erat editus: Ita etiam à Sepulturâ suâ, omnem pompam, fastum & ostentationem removeri voluit, diram in hujus sue voluntatis transgressores execrationem sanciens, & DEI ultioria fidicillam super caput ejus invocans, qui ambitioso sumtu & ornatum funus suum decorans

torare ausus fuisset. Suum defuncti corpus mundo hinc teolo in holbi, & Sarropba-  
go non è stanno, sed è ligno facta recondi imperans, unicum tantum in dito annulo  
aureum sibi retinens, quod illum ab Achimo VVangelino viro nobilissimo, donec  
aceperisset, cuius in se fidem in magnis periculis perspectam & exploratam habebat.  
In anxiferis illis sevientis morbi doloribus, ne lebe quidem ullius impatientiae signum  
unquam ostendit. Cui cum quidam verbi DEI ministrorum illud Pauli  
recitasset: Vita mihi Christus, mori mihi lucrum; Porrecta ei dextra, Ecce tibi,  
inquit, In illo qui mea vita est, etiam moriar. Semper identidem illud con-  
triti Publicani ingeminans, DEUS miserere mei peccatoris. Item DEO meo  
me commendavi. Domini sum, qui mecum faciat juxta paternam suam vo-  
luntatem: Item concionatores presentes de sua salute certos esse iussit, eò  
quod certus esset, se Iesu Christo sanguine redemptum esse, Paullo deniq; ante  
mortem hac ultima emisit verba: Veni Iesu Christe veni, cum gratia & mis-  
ericordia tua, Et si tua voluntas hisce meis cruciatibus finem impone. Et ita die  
12. Iulij, Mariae Magdalene sacrâ, inter septimam & octavam matutinas, cum  
tribus hebdomadibus decubuisse, veluti in somnum resolutus placide in Christo Iesu ob-  
dormivit, Iamq; in sinu Abrahæ, in manu DEI, ubi mortis tormenta amplius eum  
non tangunt, securus ac tutus conquiescit. Et de cuius in Christo Iesu salute qui-  
cunq; dubitat, ille certissimum infidelitatis testimonium aduersus se ipsum dicit. Pe-  
ccata non moramur. Homo fuit, ex Adamo natus fuit, Peccator fuit, & qui nisi  
fuisset, Christus pro illo mortuus non fuisset. Quis autem accusabit Electum  
DEI, quem Christus justificat?

Nempe generosissimus ille antiquissima domus Megapolensis arboris ramus, sub  
cujus salutari umbrâ hec patria jam octo annis in optata pace & tranquillitate  
secura quiete, jam, prob dolor! emarcuit, & exaruit. Iamq; adeo illa quondam  
tot ramis frondibus floribus ac fructibus longè lateq; diffusa & tam patula Principum  
Megapolensem adeo generosa, adeo antiqua arbor, in masculâ stirpe ad duos illos  
ramos redacta, per DEI gratiam adhuc super est.

Quod dum hoc loco memoro, bix putem quenquam in toto hoc Theatro ad-  
eo improbe stupidum, adeo patriæ matris suæ, immo sui ipsius oblitum, qui quidem ipsam  
humanitatem hominifq; naturam quodammodo in se videtur, qui non statim pro  
suo in patriam amoris affectu, tacite hoc apud se ad Deum votum ultrò concipiatur,  
ut hi duo tam generosi rami suos porro surculos flores ac fructus ad posteriorum pro-  
nepotum ad nepotum trinepotes, quam diu hec terra, Arctoo orbi subjecta, Megale-  
poleos nomen in mundo inter homines retinebit, propagent & ulterius extendant.  
Ut, inquam, sub illius arboris, quæ regem Pribislauum Christianam & sanctam radi-  
cem agi oscit, ejusq; viridianum, ac frondentium ramorum salutari umbrâ hec pa-  
tria tutâ ac tranquilla conquiescat in fide & religione Iesu Christi, donec ipse veniat.  
Et hoc omnium in hoc cœtu bonorum votum ratum esse velit ille cœli & terræ rex &  
monarcha: Et ita cuig; eveniat, ut huic Patriæ, ejusq; patribus Principibus Mega-  
polensis bene optat, bene cupit? Quanta sit calamitas suorum Principum,  
exstinctâ stirpe ac radice, externalorum Principum dominio subjici, & diversorum

Principum de dominio contendentium militibus rapinam & spolium objici, res ipsas  
laquitur, & potentissimorum ad Rhenum Principatum exempla nos docent, & nos  
orare docent. O que bellorum flamma, longè latèq; multa depopulatura, ibi ac-  
censa! O que iræ Dei dextera gladio stricto armata quantum humani sanguinis  
effusus, nisi misericordia DEI interveniat, ibi extensa est! Magna infelicitu-  
tis humanae pars est etiam homini privato in conjugio sterilitas. Longè major publi-  
cae matris Patriæ sterilitas, que genuinâ prole orbata tandem advolantes extraneos  
heredipetas cultures non sine gemitu admittit. Sed bene habet! Quamdiu Prin-  
cipes Megapolitani posteri majorum suorum virtutes imitabuntur, nati na-  
torum illis non deerunt. Omne imperium artibus illis retinetur, quibus paratum  
est. Nota mundo est illorum, sub quibus hec Megapolis hactenus lauri instar storuit,  
pietas, clementia, ac fortitudo. Hæc retinet, qui florentem illam retinere vul-  
tis. Retinentur autem hæc cum subditè ritè principibus, & Principes ritè Deo  
parent. Hæc servata firmant imperia, stabiliunt regna, muniunt regiones, &  
agros oppida, & urbes insuperabili adamantino muro cingunt. Et quæ contra vio-  
lata potentissimas in mundo Monarchias è sublimitatis fastigio deturbatas solo a-  
quarunt, & hostium libidini ludibrium objecerunt.

Vt autem Subditi rectè pareant plurimum momenti in rectè imperantibus si-  
tum est. Appellantur Patres Patriæ. Multum dicit, qui patrum dicit, Plu-  
ra adhuc quæ Patrem. Patria est communis nostra Parens, Pro quâ Spartani jura-  
bant se pugnare velles solos & cum alijs; pluris facturos ejus salutem, quam suam; fel-  
licem ducturos mortem, que naturæ debita, patriæ sit redditæ. Nempe pro quâ  
omnia incommoda subeunda sint, cum omnia ab illâ commoda acceperis. Sic ut qui  
se malit servare quam patriam æquè demens sit, atq; ille, qui digitum toti manu  
imò toti corpori præferat. Adeoq; cuius salus omnibus bonis suprema lex est,  
& ultimus legis scopus. Vos celsissimi Principes hujus Patriæ, magna matris vestra  
generosi & genuini estis filij. Quibus nempe Deus hujus Ducatus sceptrum dedit.  
Qui etiam unus & solus dat, ut ritè ac rectè illud geratis. Dat autem illis à quibus  
rectè colitur. Improbus Vasallus est, qui hunc Fendi Dominum non honorat. At  
qui colas? Deum rectè coluit, quisquis imitatus est. Meminerit Princeps se DEI  
imaginem esse, & hoc in suâ ditione esse, quod Deus in mundo. Neg, enim frustra  
ille dixit: Ego dixi, vos Dii estis. Vt autem Deus est alienus ab omni libidine,  
invidia, avaritia, crudelitate, superbia, atq; omni adrobitio: Talem etiam prin-  
cipem esse oportet, quantum quidem humanitatis admittit ratio. Sit alienus à luxu,  
non sive voluptati, sed patriæ utilitati serviens: Alienus ab iracundia imitatus regem  
apum, qui est sine aculeo: Alienus à superbis, que animi ignobilis ac pusilli indi-  
cium, quâ quis ob Phantasiam brevis imperij sui obliviscitur: Et assentatores & adulato-  
res genus hominum principibus in primis pestilentissimum cane & angue pejus  
fugiat. Alienus ab avaritia, quâ nullum tetricius in principe vitium. Alienus à le-  
bitate, que principum majestatem pessundat. Alienus à crudelitate, memor se sub-  
ditorum suorum pastorem, non lupum esse. Qui præstet illud subditis, quod sibi  
& Deo præstari oportet. Vos quibus ictor maris atq; terra

Ius dedit magnum necis atq; vitæ.

Ponite inflatos tumidosq; vultos.

Quicquid à vobis minor extinxerit,

Majo

Major hoc vobis Dominus minatur,

Omnis sub regno graviore regnum est.

Denique si alienus ab illa imperiorum peste nimis clementia, quae dum uni parat, toti patriae nocet; quae, quae sceleratus luere debebat, insonti patriae luenda imponit. Sceleris pena non innocentem patriam, sed solum sceleris auctorem premat. Nulla infestior pestis magis imperij jugulum petit, & cor vita arcem oppugnat & expugnat, quam sceleratorum impunitas, qui sunt imperiorum carcinomata & quasi granula, quibus totum corpus paulatim confectum perit. Unius scelerati scelus impunitum tota florentissima imperia in immanem ruinam dedit. Imprimis libidinos & homicidia. Testatur hoc Io ab Egyptiis, Medea à Grecis, Helena à Trojanis, Europa à Cretensibus rapta. Et notus est tragicus exitus sceleris à paucis in uxorem Lebice, & filias Scedasi perpetrati, illud ex sacrâ, hoc ex profanâ historia, quod multa hominum millia cede & sanguine suo luerunt. Frustra armis belli externi hostes profigantur, si in intimis patriae medullis scelerati tolerentur, qui eo perniciose sunt, quo magis intimi, & qui nisi tollantur centuplex murus servande patriae parum est. Vis patriam servare, hosce patriae hostes immo pestes profliga, quos ni punias illorum scelerum tua facies scelerata. Puniantur illi, quos puniri illorum qui puniuntur interest. Homo sceleratus si non puniatur bis miser est. Vindicate sanguinem Abelis à Caino effusum. Et qui nisi vindicetur in cœlum clamat, & DEI vindictam super caput vestrum, DEL in terris vicariorum, accumulat, nisi officium vestrum feceritis. Ante omnia veram de DEO doctrinam & veram Religionem à majoribus acceptam asserite.. Iure Deo habetur proximus, per quem DEI maiestas in terris vindicatur. Nunquam ille patriam curabit, qui DEV M Dei ḡberbum non curat. Et quid ni cures, sine quo nihil rite ac salubriter geritur? Semper Principes horum recordentur: Se homines esse, & hominibus imperare, & juxta leges imperare, nō semper imperaturos, & supremo imperatori imperij si ratione nolim reddituros. Leges imperiorum vita & anima sunt, quorum vos custodes & executores constituti. Iuxta has & principes & subditos vivere oportet, aut nihil ab immanibus beluis differre oportet. Tum demum regere potestis, ubi vos ratio, ubi vos lex, ubi Deus verbo suo rexerit. Non potest regere, qui non potest regi. Non potest imperare, qui non potest parere. Parere dico Deo & legibus. Et hoc demum vera libertas est. Qui vult imperator esse eadem virtute sibi ipsi & subditis suis imperet. Tum demum subditus imperet, ubi primum sibi ipse imperaverit. Et hoc imperium longe maximum est, latius torus orbis terrarum Monarchia. Talis Imperator rex est regum, sicut orum, potentior quovis Cyro, Alejandro Magno, aut Julio Cesare, qui armis vicerunt, virtute vitti sunt. Decet Principes non tam potentiam quam virtutem subditos suos antecellere, ne ordo naturæ turbetur, qui postulat deteriores parere, & meliores imperare. Malo data potentia aliud nihil est, quam pueri culter, immo furioso gladius. Ille demum felix princeps est, qui non solum potenter est, sed & melior, & cui imperare officium est, non regnum. At contra infelicissimus, qui in subditis sua virtus damnat & punit, qui imperat alijs, quod deceat, interim ipse facit, quod non decet. O quam turpe illum a quo omnium virtutum exempla petuntur, in contrarijs reprehendi virtus, & subditis suis magis exemplo, quam peccato nocere! Libeat Principi, now

Op̄i non quod licet, sed quod deceat. Sua recte imperata primus ipse subeat,  
recte jubens primus ipse sibi pareat. Deniq; cura vobis salus sit illius corporis,  
vujus vos caput estis. Oculos ponite vobis maiores vestros, & inter illos Prin-  
cipem CAROLVM, cui hodie Iusta persolvimur. Quoties ille suorum com-  
modorum oblitus ad publicam salutem respexit, nec praesentia solum curabit, sed  
& posterita i consoluit. Atrocitys tynanni vox erat: Mc morte terra misce-  
tur ignibus. Immanioris adhuc illa altera, Mc vel vivente.

Nullum Diademā principem magis ornat, quam corona ob servatam pa-  
triam. Nimirum qui vigilet, ut subditi tutō dormire possint. Cuius vigilia sub-  
ditorum quietem defendat, cuius labor subditorum otium, cuius occupatio subdito-  
rum vacationem. Hinc ille Amor ac benevolentia subditorum, que principes  
magistratos præstat, quam inseparabilis Acropolis, aut inexpugnabile munimentum.  
Neg, enim fustra à Poetā dictum est,

Non sic excubiae, nec circumstantia pila  
Quam tutatur amor. —

Deniq; non nisi male imperando imperia evertuntur, Prorsus ut nabis gubernato-  
ris imperiā in terram impalla frangitur: Non nisi bene imperando imperia  
firmantur, & in humanae vitæ turbulentio pelago rectum cursum tenent. Hoc agite,  
Et hac vestra Patria salva ac florens videbit vestros natorum natos, & ad nepotum  
trinèpotes florentes ac superstites. Post hoc caducum Diadema alia melior  
in cælis corona reposita vobis est. Et qua beatissimus noster CAROLVS jam  
instar stellæ firmamenti, Solis justitiae IE SU CH RISTI radjs illustratus, fulget  
& coruscat.

Tu o Omnipotens æterne ac viue Deus, Pater Domini nostri Iesu Christi,  
qui cum Filio & Spiritu sancto vobis & regnas ab æternis sæculis in æterna sæcularum  
secula: Qui inenarrabili bonitate ac misericordia mundum creasti, & in eo ho-  
mines per peccatum lapsos ac mortuos in filio tuo recreasti: Qui imperia in mundo  
constituisti, in quibus atq; imperent, atq; paream: Qui humani Generis pater es  
& pro paterno tuo arbitrio ausers & reddis: Qui optimum & laudatissimum  
Principum CAROLUM Seniorem à nobis abstulisti, & optimos, laudatissimosq;  
Juniores Principes Megatolitanos nobis reliquisti; Te supplices rogamus, Con-  
serba in hac ditione illam generosissimam, illam antiquissimam & optimam Pribislai  
regis stirpem, ut haec provincia non nisi ab illorū posteris gubernetur, sub quorum ma-  
joribus hactenus floret, nec unquam externalorum Principum dominio ac imperio  
subjiciatur.

Defende in hac ditione tuam Ecclesiam & in illâ puram ac sinceram reli-  
gionem ac doctrinam, quam ante octuaginta annos illibatus ille flos meliorum  
Imperi Romani procerum Augustæ Vindelicorum confessus, & sincerorum Ecclesie  
Doctorum in Concordia formula professus est. Defende Ius ac justitiam, judicia & leges  
& inter alia illum inestimabilem hujus provincie Thesaurum, Academiam Rostochi-  
ensem, illam officinam pietatis, prudentie, virtutis, ac eruditionis, & illorum bo-

norum

nerum, sine quibus vita mortalium mors est, & viorum hominum sepulturæ  
Et quæ salvæ Ecclesia, Schola, Curia & aule in hac ditione vigebunt ac florebunt,  
& salvæ erunt, quam diu erunt. Aberte à tua apud nos Ecclesiæ Antichristi  
machinas, ejusq; catulorum Iesuitarum rabiem, & Cinglianorum molitiones.  
Aberte à finibus patriæ nostræ illam Bellonæ tubam passim resonantem, illas bello-  
rum flammæ passim accensis.

Aberte à Principib; nostris omniæ imminentia mala & pericula, & imprimis  
illæ passim in Christianos principes strictas Iesuitarum parricidarum scias. Da  
salutarem pacem & concordiam, ut sub Pribislai nepotum, optimorunq; illorum

Principum salubri imperio boni ac fideles subditi, honestam ac tranquillam vi-  
tam ducamus, & tibi grata, ac proximo nobisq; ipsis salutaria dicamus

& faciamus, hic suspirantes, illuc aspirantes, ubi

rex Trinitas, ubi Lex Caritas, ubi

modus Eternitas.



# Stemma Principum Megapolensium.

ADOLPHUS FRIDERICUS. JOANNES ALBERTVS.

Ioannes ex Sophia hærede Norvegiæ, Sigismundus.

Ioannes Albertus. Ulricus. Christopherus. CAROLUS.

Albertus, Henricus Pacificus.

Magnus.

Henricus Pinguis.

Iohannes, fundator Academiz Rostochiensis.

Magnus.

Albertus, primus imperii princeps.

Henricus Leo.

Henricus Hierosolimitanus.

Iohannes Theologus.

H. Burevvinus.

Henricus Burevvinus.

Pribislaus, Ultimus Vandalorum Rex, Christianus.

NICÖLOTUS, Rex Vandalorum, Ethnicus.